



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Symbola Trinitatis, Id Est Trinitatis diversarum rerum, ex
Veteris ac Novi Testamenti Scripturis, Historijs &
exemplis; nec non congruentioribus rerum naturalium
similitudinibus conscripta ...**

Duplan, Theodore

Ruraemundae, 1663

20. Tres Gorgones.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12221

SYMBOLUM 20.

Nota de Gorgonibus. Gorgones, tres sorores habentes unum oculum, quia fingebatur quod erant unius formæ & pulchritudinis, quæ tanta erat, vel tam terribiles facie, ut alij dicunt, ut spectatores redderent immobiles vel mortuos: & ideo fingebantur eos convertere in lapides. Nomina Gorgonum erant Euryale, Sterio, & Medusa. Ab agilitate nomen habent.

SYMBOLUM 21.

Augustus Imperator teste Suetonio cibi & potus parcissimus, ter solitus bibere super cœnam, quam ternis ferculis parabat.

PAcis oliviferæ, Augusto regnante, Monarcha
Nascitur, & toto funditur orbe salus.

Augustum hunc ævi, vitæque cupidine longæ,

Tres Calices memorant, tresque parasse Dapes.

Longævam Triadis sub imagine discite diætam,

(a) Fercula cœlicolas trina parata cibant.

(a) In scutella Dei tria continentur fercula: claritas perspicuitatis, quæ fulgebit ut sol; integritas puritatis, quæ erit ut Angeli; firmitas aternitatis, quæ erit ut Deus. Bern, in sententijs

N. Finxerunt Poëtæ cibos quosdam Deorum, ut nectar, ambrosiam, moly &c. qui eos facerent lætos, beatos & immortales: sed occasionem fabulationis videntur sumpsisse ex arbore vitæ Gen. 2.

SYMBOLUM 22.

Tria F. F. F. in ænigmate Diphili,

Id est, tria Fortia quorum unum alterum, illudque tertium superat, scilicet Ferrum, Faber, Febris.

Vulcano ferrum, multo mollescit & ictu,
Ceditur ac cedit ferrea massa Fabro.

Dira